

sunt ut spatia AB, BD iisdem temporibus minimis descripta; sunt autem spatia illa bases triangulorum æqualium ASB, BSD, quæ proinde sunt reciproce ut perpendiculara ex centro S in bases AB, BD demissa; sed polygona in curvam abeunte, latera AB, BD evadunt tangentes curvæ in punctis A, B; erunt igitur velocitates in singulis curvæ punctis reciproce ut perpendiculara ex centro virium in tangentes demissa. Quod quidem corollarium eximia utilitatis esse ex dicendis manifestum fiet.

II. Attractionem in variis curvis considerare solent, qui sublimiorem physicæ doctrinam explicant; nos vero in ipso physices initio facilitati studentes in circulo duntaxat rem considerabimus, virium centralium doctrinam in Ellipsi deinde convenientiori loco explicaturi. Revolvatur in peripheria circuli ACD corpus A (Fig. 4), quod ubi ad A pervenit, sublata vi tendente ad centrum, qua in circumferentia retinetur, per tangentem AB in infinitum excurreret; itaque ut corpus in peripheria detineatur, necessum est vim aliquam perpetuo agere, quæ corpus urgeat versus D, per spatium AC, interea dum mobile vi impressa progrediretur per spatium infinitesimum AB; his enim viribus conjunctis mobile describeret lineam AC; hæc omnia facile patent ex demonstratis de virium compositione. Vis quæ exhibetur per BC dicitur *attractio*, quam alio nomine vim *centripetam* appellavimus; vim autem qua mobile ex arcu curvilineo transit ad tangentem, quæque exhibetur per CB, diximus vim *centrifugam*,
amb.